

quae agis et audis, fac ut intelligas: de dubiis te certifies, et quicquid poteris in armariolo mentis reponere, satage sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quaesieris. Illa sequens vestigia, frondes et fructus in vineam Domini sabaoth utiles, quamdiu vitam habueris, proferes et produces. Haec si seclatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.



ORATIO EIUSDEM ANGELICI

Concede, quaeso, misericors Deus, quae tibi sunt placita, ardentem concupiscere, prudenter investigare, veraciter intelligere et perfecte implere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

## METAPHYSICA SPECIALIS

### PARS TERTIA

#### THEOLOGIA NATURALIS

##### INTRODUCTIO

\* 380. **Discrimen naturalis a supernaturali theologia.** Theologia, si vim vocis spectes, idem significat ac *doctrina de Deo*: etsi enim versatur circa alia, id tamen non praestat nisi pro eo quantum ad Deum ordinatur ut ad principium vel finem. Hoc nomen solet quandoque ab Ecclesiae Patribus adhiberi ad ipsam fidem divinam designandam; communi tamen acceptione, non fidem sed scientiam significat, de rebus divinis scilicet. Porro \* de divinis, ait S. Thomas, duplex scientia habetur: una secundum modum nostrum, quae sensibilibus principia accipit ad notificandum divina, et sic de divinis philosophi scientiam traderunt, *philosophiam primam* divinam scientiam dicentes; alia secundum modum ipsorum divinarum, ut ipsa divina secundum seipsa capiantur; quae quidem perfecta in statu

\* Numeri marginales praesentis voluminis continuatur cum praecedenti, ut commodior habeatur ratio eos citandi quum opus fuerit.

viae est nobis impossibilis, sed fit nobis in statu viae quaedam illius cognitionis participatio, et assimilatio ad cognitionem divinam, in quantum per fidem nobis infusam inhaeremus ipsi primae veritati propter se ipsam. Et sicut Deus ex hoc ipso quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo, hoc est simpliciter intuitu non discurrendo; ita nos ex his quae fide cepimus primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, scilicet discurrendo de principiis ad conclusiones. (In Boëth. *De Trinitate*, Prooem. q. 2. a. 2.) Differt itaque naturalis a revelata Theologia non specificè dumtaxat, sed *secundum genus*, ut alibi notavimus cum eodem S. Doctore [*Pr. Ph.* 378]. Etsi enim utraque de divinis scientifica ratione disserit, prior tamen id praestat, prout haec sunt naturali rationis lumine pervia, altera vero prout menti attemperantur supernaturali divinae fidei lumine illustratae. Ex quo tria alia discrimina proficiuntur. Primum quidem secundum *obiecti amplitudinem*. Cum enim causa eo sit universalior, quo altior, hinc theologia revelata ad multa plura de divinis dignoscenda se extendit quam theologia naturalis. Secundum discrimen est in utriusque *intensiva perfectione*. Theologia enim revelata certior est et infallibilior in suis conclusionibus quam theologia naturalis. Tertium denique discrimen cernitur in utriusque *utilitate*. Revelata enim per se ordinat hominem ad Deum ut finem supernaturalem, naturalis vero non item. Ob has causas proinde, ut alibi docuimus [*Pr. Ph.* 421, seqq.], haec Metaphysicae pars, suprema licet inter naturales disciplinas, revelatae theologiae merito subordinatur.

381. **Ordo tractationis.** — Quod spectat distinctionem ac nexum disputationum huius postremae partis Metaphysicae, nihil melius occurrit quam quod indicatum habemus apud sanctum Thomam (*Summa th.* 1, p. q. 2, prooem.), ut scilicet primo consideremus, an Deus sit; secundo, quomodo sit, vel potius, quomodo non sit; tertio denique, de his quae ad operationem ipsius pertinent. Cum enim Deum cognoscamus conceptionibus e creaturis emendicatis; in his vero vel attendimus ad ipsarummet exi-

stentiam, vel ad proprium modum essendi aut operandi uniuscuiusque: simili conceptionum distinctione de divinis disserere fas erit. Quod vero operationem spectat, ea est vel immanens vel transiens. Hinc etiam de Deo agentes, possumus ipsius operationem spectare, vel ut ei vitaliter immanet, vel prout ad extra procedit, in creaturas scilicet quae a Deo sunt ut a primo essendi principio. Quatuor proinde Disputationibus praesentem tractatum comprehendere licet. In prima agemus de Dei existentia. Hanc altera excipiet, in qua sermo erit de iis attributis quibus proprius essendi modus Divinitatis nobis adumbratur: et quoniam oportet, in hac re, negatione potius procedere quam affirmatione, hinc in ea disputatione de iis attributis divinis agemus quae *negativa* dicuntur. Tum vero de divina operatione disputaturi, primo quidem de vita divina, postremo de rerum creatione et gubernatione agemus.

## DISPUTATIO I.

### DE EXISTENTIA DEI

#### SECTIO I.

*Variae de probanda Dei existentia  
opiniones. Quae seligenda.*

382. **In quo proprie vertatur praesentis Disputationis cardo.** — In hac Disputatione naturalibus rationibus agendum est, ut Deum esse demonstrative probetur. Cum vero conclusio certa et evidens nulla legitime deducatur nisi ex principiis immediate certis et evidentibus, piaculum certe foret, in re tanti momenti, probationes in medium proferre quae principiis nitantur, de quorum veritate merito dubitari potest. Est praeterea in hac demonstratione, ut in ceteris, bene praenoscendum *quid et de quo* agatur, praedicatum scilicet et subiectum conclusionis, prout eorundem notio ante ipsam demonstrationem in mente praesumitur. Et quod praedicatum spectat, nulla est difficultas: demonstrandum quippe habemus, num Deus sit, actu scilicet in rerum natura; notio porro rei actu existentis in natura rerum est una e primordialibus quae in mente cuiusque evolvuntur, quaeque propterea neminem fugit (1).

(1) Ut alibi monimus [Pr. Ph. 432, nota] veteres Scholastici cum S. Thoma agentes de divina existentia, quaestionem proponere consueverunt sub hac formula, *Num Deus sit*, non vero sub alia nunc

Quoad subiectum subaudienda est sola definitio seu interpretatio nominis, quod expresse notavit S. Thomas sic inquiring. *Ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio, quid significet nomen, non autem quod quid est, quia quaestio quid est sequitur quaestionem an est.* (Summa th. 1. p. q. 2. a. 2. ad 2.) Qua in re duo veniunt probe notanda.

I. Quemadmodum fieri solet in aliarum vocum interpretatione, item in praesenti, hoc nomen *Deus* accipi debet eo sensu quem universum humanum genus communiter affigit huic voci. Cum vero hae interpretationes non adaequate et uniformiter, sed inadaequate et varie soleant exhiberi, pro diversitate scilicet divinarum perfectionum quae humanae menti innotescunt, satis erit ad divinam existentiam comprobendam, ut ea interpretatio huic nomini subiciatur quae non conveniat nisi vero Deo, ut scilicet praedicatum aliquod referat, non Deo et aliis commune, sed uni Deo proprium. Quaecumque autem eiusmodi interpretatio accipiatur, ea aliud non intenditur nisi determinare sensum quo haec vox accipienda est, praescindendo utrum nec ne detur res de qua hic sensus verificatur. Id enim convenit cuilibet vocis interpretationi, ut in Logica docuimus [94], quae propterea praecedit omnem de re quaestionem, et evadit definitio realis, descriptiva saltem, cum probatum iam fuerit, dari extra mentem id quod ea voce significari dicitur.

II. Notio Dei respondens huic interpretationi, antequam iudicetur sit nec ne Deus, spectat ad simplicem mentis apprehensionem. Haec autem quo pacto, et unde a mente nostra formetur, sat multis suo loco diximus

usitata. *Num Deus existat*; quo nempe vitarent notionem *procedentiae* quae videtur involuta in verbo *existit*. Cum vero universalissimum loquendi modis invaluerit iam, ut Deus etiam existere dicatur, quin ab alia causa dependeat, nos indiscriminatum utramque formulam usurpabimus, quemadmodum etiam *existentiam* pro uno eodemque habebimus ac nomen verbale *esse*.

[n. 332, seqq.]. Ceterum, et hoc apprime notari debet, quæstio quam nunc ventilamus, non sic connecti debet, quod nonnulli efficere consueverunt, cum controversiis de modo quo notio Dei primo in mente nostra progignitur, ut illa ex istius resolutione necessario dependeat. Nam, præter alia, illud incommodum et sane gravissimum inde enascetur, ut naturales demonstrationes de Dei existentia, quæ sunt plane evidentes et omnibus obviæ, obscuritatibus obvolvantur ac difficultatibus intercipientur quæ in salebrosa questione de origine idearum inveniuntur. Nimirum, nemini dubium esse potest, quid ipse apprehendat mente, nomine Dei audito. Quicumque ergo fuerit modus quo mens fecundetur ad eiusmodi apprehensionem habendam, id modo satagimus, ut evidenter ostendamus, talia momenta rationis existere, ut de huius apprehensionis veritate ipsa ratio omnino convinci debeat, quin de opposito formidet. Brevi: agitur in præsenti de huius conceptionis realitate asserenda, non vero de explicando modo quem mens nostra tenet in ea efformanda. Nec mirum hoc cuique esse debet. Sunt enim plures etiam veritates de quibus certi sumus et quidem evidenter ac immediate, puta corpora existere, quin tamen æqualis evidentiæ et certitudinis habeatur, cum ventum fuerit ad resolvendam controversiam de modo quo corpora mente apprehendimus.

**383. Error dicentium, Deum sola revelatione cognosci.** His præhabitis, nihil impediret rei demonstrationem aggredi. His tamen agendi sequuti aliorum, et ipsius Doctoris Angelici (1. *Cont. Gent.* c. 10, 11, 12.), quaedam præmittere iuverit, in eum finem præsertim, ut constet qua necesse oportet via ad hanc veritatem pro merito stabiendam. Primo igitur eliminanda est antiquissima opinio quorundam, qui dixerunt, ut refert divus Thomas (1. *Cont. Gent.* c. 12.), quod Deum esse non potest per rationem inveniri, sed per solam eam fidem et revelationis est acceptum. Id ipsum docuerunt Lutherus, Calvinus et Ianseniani, pro eo quantum auxilium divinæ gratiæ interioris absolute necessarium dixerunt ad veram de Deo notitiam comparandam.

Præsertim autem hac ultima ætate hanc doctrinam prolexerunt, licet alii aliter, quos *traditionalistas* appellant, ut alibi exposuimus [337].

Hæc doctrina quatenus generatim edicit, rationem humanam naturali suo lumine pervenire non posse ad certam et evidentem cognitionem de divina existentia, optimo iure reicitur: quod paucis sic demonstrat sanctus Thomas. "Huiusmodi autem sententiæ falsitas nobis ostenditur, tum ex demonstrationis arte, quæ ex effectibus causas concludere docet: tum ex ipso scientiarum ordine; nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem, ut dicitur in 4. *Metaph.* text. 7.: tum ex philosophorum studio qui Deum esse demonstrare conati sunt: tum etiam apostolica veritate asserente; *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, Rom. 1. 20. " (*Cont. Gent.* loc. cit.) Confer etiam quæ idem S. Doctor in eandem rem habet (In Boëth. *De Trinitate*, q. 1. a. 2.).

**384. De caeca fide Sentimentalium.** — Alius opinandi modus qui humanam rationem facit impotentem ad demonstrandum, vere et proprie, Deum esse, habetur in doctrina *Sentimentalium*. Hæc non est alia a caeco instinctu scholæ Reidianæ, de quo in *Logica* [326]. Inter veritates enim sensus naturæ communis, quæ in hac schola vi caeci cuiusdam naturæ impulsus dicuntur admitti, maxime adnumeratur quæ Dei existentiam respicit. Hæc modum cognoscendi, seu potius credendi Deum, docuit etiam in Germania Iacobi, philosophus protestans, quem inter alios ex parte secuti sunt Klee (*Theol. dogmat.* vol. 2. P. 1. lib. 1. c. 1.), Staudenmayer (*Dogm. Christ.* vol. 2. § 20). Ceterum facile refelli potest hæc opinio duplici ratione potissimum. Nam eiusmodi fides est plane irrationalis; unde a suis ipsis auctoribus assimilatur caeco instinctui naturæ. Atqui id contradicit naturæ rationali, prout rationalis est, præsertim in veritate tanti momenti qualis est Dei existentia, unde totus quantus est ordo moralis dependet. Præterea eiusmodi sensus seu instinctus a suis auctoribus tribuitur facultati diversæ ab in-

lectu; in quo certe secum ipsi cohaerent, cum nihil magis alienum sit a natura intellectus quam caecus ille modus agendi quem huic fidei attribuunt. Atqui iudicium de Dei existentia certo certius pertinet ad intellectum. Est enim actus de obiecto immateriali sub ratione veri; omnis autem actus huiusmodi spectat ad intellectum [314]. Confer quae in Logica diximus [h. XII].

385. *An ipsa notione Dei, Deum esse, constet.* — Ex dictis liquet, dari in naturali humanae mentis lumine vim qua possimus ad cognitionem eamque rationalem atque adeo evidentem pervenire de divina existentia. Quoniam vero optimaе causae qualem nunc agimus, obest saepe non parum probatio mala, ut etiam monuit S. Thomas (1. *Cont. Gent.* c. 12.), praefum erit operae, quarumdam probationum vitium aperire, quas nonnulli attulerunt in rem praesentem. Generatim eo spectant, ut demonstratione quadam *pura*, non *mixta*, contentur evincere, Deum esse. Eam porro efficiunt ex simplici analysi notionis quam de Deo omnes habemus, *secundum se et obiective* spectatae (1). Sub triplici forma potissimum hanc rationationem propositam habuimus.

I. Prima haec est. Nominе Dei significatur ens absolute perfectum, quo propterea nihil maius seu melius

(1) *Secundum se et obiective* dixi, quia secus non demonstratio pura sed mixta conficeretur, quae procul dubio rem evirteret. Si enim ea notio non secundum se spectatur, sed una cum experientia sive interna, sive externa, demonstratio habebitur a posteriori. Id ipsum etiam continget, si ea non *obiective* spectetur, sed *psychologicè*, nimirum per modum facti cuiusdam cuius existentia nobis innotescit per conscientiae testimonium. Nam imprimis inde constat dari aliquid in natura rerum; quo posito, ut inferas arguens, existentiae supremae Causae efficientis evidenter demonstratur. Deinde elucet eiusmodi notitiam seu persuasionem esse factam quoddam universale, constans, ineluctabile, maxime conforme cum rationis principiis, item efficacissimum ad mores componendos, immo et plane necessarium. Atqui, ut etiam inferus argumentabimur, conceptio a mente conflictata vel falsa non potest esse eiusmodi. Sed nemo non videt, haec omnia ratiocinia esse non pura, sed mixta et a posteriori.

concepi potest. Atqui Deus actu existens est certe quid melius Deo non existente. Ergo Deus existit.

Hoc argumentum est manifeste illegitimum. Consequentia namque desideratur. Et re quidem vera, ex praemissis dialectice non sequitur nisi haec conclusio; *Ergo nomine Dei significatur Deus existens*. Haec porro conclusio alia est omnino ab ea qua assertive dicitur; *Ergo Deus existit*; quippe aliud est omnino existentiam nomine aliquo significari, aliud vero reipsa dari in natura rerum; nec potest ex priori hoc aliud inferri, nisi antea constiterit, nomine, quo talis existentia significatur, non contineri significationem a mente conflictam, sed veram et realem. Quare S. Thomas. "Dato quod ab omnibus per hoc nomen *Deus* intelligatur aliquid quo maius cogitari non possit, non necesse erit aliquid esse, quo magis cogitari non possit, in rerum natura. Eodem enim modo necesse est poni rem et nominis rationem. Ex hoc autem quod mente concipitur quod profertur hoc nomine *Deus*, non sequitur Deum esse, nisi in intellectu. Unde nec oportebit id quo maius cogitari non potest, esse nisi in intellectu; et ex hoc non sequitur, quod sit aliquid in rerum natura quo maius cogitari non possit. Et sic nullum inconveniens accidit ponentibus, Deum non esse. Non enim inconveniens est, quolibet dato vel in re vel in intellectu, aliquid maius cogitari posse, nisi ei qui concedit esse aliquid, quo maius cogitari non possit, in rerum natura." (1. *Cont. Gent.* c. 11.) (1)

(1) Cartesius hunc modum probandi divinam existentiam valde commendavit, his verbis argumentum proponens. "Item est dicere, ait, aliquid in rei alicuius natura, sive conceptu contineri, ac dicere ipsum de ea re esse verum. Atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur. Ergo verum est, Deum existere." (*Princip. Philosoph.* P. 1. n. 18. seqq.; item *Medit.* 3.) Tanti autem fecit hanc probationem, ut demonstrationibus geometricis aequiparaverit. At enim merito capitur a I. B. de Benedictis, qui eam sic refellit. "Dico igitur, hanc appellari a Cartesio demonstrationem, quia non distinguit inter definitionem quid nominis, et quid rei. *Deum esse ens necessario existens*, admittitur ab altheo ut definitio quid nominis: ne-

II. Proponitur secundo similis argumentandi ratio hoc modo. Ens per se necessarium nullam contradictionem involvit, atque adeo est quid intrinsece possibile. Atqui si actu in rerum natura minime existeret, non esset intrinsece possibile. Ergo actu in rerum natura existit. Prob. minor. Illud est intrinsece impossibile, quo posito concedere oporteret utramque partem contradictionis esse simul veram. Atqui admissa possibilitate intrinseca entis per se necessarii in hypothesi quod non existeret, concedere oporteret, utramque partem contradictionis esse simul veram. Ergo eiusmodi interna possibilitas est quid intrinsece impossibile, videlicet est plane chimaerica atque adeo nulla istiusmodi possibilitas. Minor huius postremae ratiocinationis non videtur probatione indigere. Facta enim hypothesi quod ens per se necessarium, non quidem actu existeret in natura rerum, esset tamen quid intrinsece non repugnans, concedere simul oporteret haec duo: primo,

---

gat tamen atheus esse rem, cui illa definitio conveniat. Dum ergo dicitur in maiore, *idem est dicere etc.*, sensus esse debet ut vera sit, quod dum est res, de cuius notione est praedicatum A, evidens est, illi actu competere praedicatum A. Ex quo id unum consequens est, quod si *Deus est, necessario est*. At non concluditur absolute, Deum esse: *si quis potest concipi subiectum in cuius notione involvatur existentia, et illud tamen esse chimaericum: ut videre est in hoc termino, Ens maius et perfectius Deo; et in hoc alio, Creatura omnem perfectionem involvens.* ( *Philosophia Peripatetica*, to. 4. lib. 3. q. 1. c. 2.) Haud inficior, hanc methodum ostendendi divinam existentiam videri approbatam fuisse a B. Anselmo (*Proslog.* c. 2, 3), cui videtur etiam consentire Doctor Seraphicus (*1. Disq.* 8. p. 1. a. 1. q. 2.). At enim haud improbabile censeri potest, horum Sanctorum mentem in eo esse, ut eiusmodi probationem pro eis urgeant, qui non inficiantur, notionem nomine Dei expressam referre aliquid quod terminorum contradictionem minime implicet, qualis ex. gr. haberetur in hoc termino complexo *circulus quadratus*. Si enim id supponatur, (quod ceteroquin supponere licet, cum sit res probatu facilissima, ut patet inferius), argumentatio ab his Doctoribus adhibita est profecto legitima. Haud longe adest ab hac interpretatione cl. I. Picciarelli in Appendice tractatus nuper editi, cui titulus: *De Deo, Disputationes Metaphysicae* (LUTETIAE PARISIORUM, V. Lecoffre).

esse absolute possibile, in tali hypothesi, ens per se necessarium existere; illud enim est absolute possibile quod intrinsece non repugnat esse: secundo, non esse absolute possibile, in tali hypothesi, ens per se necessarium existere; supponitur enim non esse, atque adeo non posse existere nisi efficiatur, quod certe ipsi notioni entis per se necessarii contradicit.

Tota haec argumentatio mihi semper visa est legitima, si prima propositio semel concedatur. Addo tamen, hanc merito negari posse, nisi probetur a posteriori hac vel alia consimili ratione verbi gratia. Aliquid certe existit in rerum natura, ut immediata experientia constat. Ergo aliquid est intrinsece possibile. Atqui nihil esset intrinsece possibile, nisi possibile esset ens per se necessarium. Ergo ens per se necessarium est interne possibile. Ratio est, quia cum in tali ente ipsa actualis existentia sit adaequata eius possibilitas, quae non est nisi interna, illae ipsae probationes quibus demonstratur unum, aliorum demonstratur oportet, ac propterea si Dei existentia a posteriori constare debet, simili via etiam constare debet eius possibilitas. Oh hanc causam paulo ante dixi, probationem adhibitam a Beato Anselmo et B. Bonaventura ex conceptu Dei ideo videri posse non illegitimam, quia praedicti Doctores subaudiunt, se rem tractare cum eo qui concedat, Dei notionem non esse chimaericam, quod ceteroquin facillimo negotio constare potest.

III. Tertia denique forma quodammodo a priori quae hoc ipsum argumentum instauratur, evincere satagit ex solo Dei conceptu eiusdem possibilitatem, quae probata eo ipso maneret demonstrata Dei existentia etiam, ut diximus. Sic itaque procedit. In infinito nulla est negatio. Atqui omnis contradictio ideo habetur, quod ens cum negatione entis coniungatur. Ergo in infinito nulla est contradictio, atque adeo est interne possibile.

Ceterum hoc argumentum nimium sane probaret. Parili quippe forma probare liceret, divinam Trinitatem personarum, utpote perfectionis infinitae, nullam includere negationem, atque adeo possibilem esse. Quare hic etiam

incurritur fallacia quam reprobavimus primo loco, qua nimirum fit transitus ab existentia *significata* per nomen ac *simpliciter* mente *apprehensa*, ad existentiam *exercitam in natura* rerum ac iudicio mentis *affirmatam*. Est praeterea propositio huius argumenti aequivoce valde. Quocirca eam ita distingues. In infinito nulla est negatio, h. e. nulla *realis distinctio*, *neg.* (siquidem infinitum realiter distinguitur a ceteris, et praeterea, fide docente, in eo datur mutua et realis distinctio divinarum Personarum); in infinito nulla datur negatio, h. e. nulla *imperfectio*, *subdist.*; videlicet infinitum significat aliquid, in quo, si detur, nulla debet esse imperfectio, *conc.*; infinitum est aliquid reale obiectum in quo nulla sit imperfectio, *rursus dist.*; et hoc novimus a posteriori, *conc.*; et hoc licet assumere independentem ab omni probatione a posteriori, *neg.* Simili modo distinguenda est assumptio. Etenim hoc nomen *infinitum*, *ens per se necessarium*, aliaque id genus, ut significant rem existentem, item significant rem possibilem. Sed, ut supra dictum est cum S. Thoma, ex simplici hac significatione minime licet concludere aliquid absolute in ordine reali, nisi prius constiterit, dari extra mente id de quod haec nomina verificentur. Confer quae in Logica disputavimus [th. XXII].

386. **Quae argumentorum genera usurpari debent in re praesenti.** — Ex his quae huc usque diximus, manifestum fit, an et quo pacto naturali ratione demonstrari possit, Deum esse. Scilicet in hunc finem ratiocinatio adhibenda est, quae duplici constet praemissa, altera categorica et empirica, altera conditionali et analytica. Ope illius immediata evidentialis ordinis experimentalis nobis constare debet factum aliquid in natura rerum exercitum, quodcumque demum illud fuerit, sive internum a conscientia relatum, sive externum sensibus perceptum. Praemissa vero conditionalis ex ipsa analysi terminorum nobis manifestare debet connexionem quae existit inter eiusmodi factum et principia ordinis rationalis, quo scilicet innolescat, haec facta sua ratione sufficiente destitui in hypothesi Dei non existentis, atque adeo hanc hypothesim admitti non posse.

Pro duplici vero ordine principiorum rationalium quibus mens nostra locupletatur ad veritatem detegendam, genera etiam duo seu ordines existunt argumentorum quibus existentia Dei demonstratur. Sunt enim axiomata ordinis speculativi; sunt praeterea axiomata ordinis practici. Illa ad *intellectum principiorum*, haec vero ad *synderesim* pertinentur dicuntur: et taetsi haec in prioribus nitantur, propria tamen evidentialia eaque immediata fulgent, et proprium etiam habent modum convincendae intellectum. In utroque praeterea ordine, non unum sed multa, eaque in rem nostram efficacissima argumenta invenire licet: quae, praecipua saltem, prudens et sapiens philosophus recensere ac propugnare debet, ut veritas, cuius cognitio prae ceteris omnibus necessaria est, undequaque communiatur, ac omnium captui evadat accommodata, qui alii aliis argumentis magis percelluntur. Nulla autem ratione dubitari potest, expedire omnino atque adeo oportere, haec naturalis demonstratio a philosopho, praesertim Christiano, omni diligentia excolatur et vindicetur. Ut enim prudenter advertit I. Kleutgen: "Scriptura ipsa summam eius proponit et ad hanc expendendam vehementer hortatur. Sancti Patres non pauci late eam et diligenter explicant, neque ulla demonstratio ad ecclesiasticis scriptoribus quovis tempore maiori cura exulta est. Licet enim ad fidem divinam suscipiendam sufficere possit obvia illa, quae sponte nascitur, Dei cognitio; ad hanc tamen non modo perficiendam, sed firmandam quoque utilis ac saepe necessaria est legitima demonstratio. Quae etiamsi non esset eiusmodi, ut rudioribus quoque ingenii posset accommodari; his tamen prodest plurimum scire, a viris doctis eam contra incredulos invictè defendi. Neque ullus error nostra aetate perniciosior existit illo, quem ab impiis invecum fideles multi incaute susceperunt: Deum pietatis quodam sensu apprehendi, sed ratione non demonstrari." (*Institutiones Theologicae*, vol. 1. *De ipso Deo*, n. 157.)

## SECTIO II.

*Expendantur argumenta speculativi ordinis quibus Deum esse legitime demonstratur.*

387. *Quae argumenta huc spectent.* — Hac sectione comprehendimus *quinque vias* quae indicio Angelici Doctoris (*Summa th. 1. p. q. 2. a. 3.*) tuto iniri possunt, ut legitime demonstraretur, Deum esse: omnes quippe ad intellectum speculativum revocantur. Quae enim experientia interna vel externa experimur, dupliciter spectari possunt, nimirum singillatim, et ad invicem comparate. Primo modo si considerentur, quod in primo aspectu se offert in singulis considerandum, est vicissitudo mutationum quibus subiciuntur. In omni porro mutatione habetur principium seu causa illam efficiens, mutatio ipsa, et subiectum quod ei subicitur. Hinc tria priora argumenta ab Angelico recensita. Sin vero alio modo considerentur, quod maxime omnium oculos percellit, est pulchritudo mirabilis totius universi. Haec porro ex duobus consurgit, nimirum ex diversa subordinatione qua res omnes mundanae se excipiunt invicem secundum diversos perfectionum gradus, alios alius altiores; et mirus ille concentus quo in tanta ipsarum discrepantia suis quaeque locis accommodantur, in proprios fines constantibus legibus tendunt, et mutuo sic nectuntur ut ad totius universi bonum et pulchritudinem optima ratione conspirent. Hinc quartum et quintum argumentum. Haec plane sufficiunt; cetera quippe quae afferri possunt, ad haec revocantur.

## THESIS I.

*Ex activitate motuque rerum quas experimur, eorumdemque interna defectibilitate, manifeste deducitur, Deum necessario esse, ut primum quoddam efficiens, quod a nullo alio moveatur, aut essendi necessitatem inducitur.*

388. *Probatio I. partis.* — Tuemur hic argumentum *causalitatis* quod aiunt (1). Est proxima applicatio duplicis axiomatis in Philosophia Prima declarati [680, 687], quo edicitur, non posse fieri ut aliquid sit sui causa efficiens, vel in causis efficientibus per se ordinatis processus existat in infinitum. Si enim ita res habet, cum aliunde ex manifestissima experientia habeamus, dari in natura rerum veri nominis efficientiam, evidenter concluditur, admittendam esse *aliquam causam efficientem primam*, quam omnes Deum nominant. Ceterum, ut huius argumenti vis melius sentiat, praestat illud ita uberius declarare.

Certum est, aliquid in natura rerum existere. Ergo vel omnia quae existunt, sunt facta, vel datur aliquod ens infectum. Atqui impossibile est, ut sint facta omnia quaecumque existunt. Ergo datur aliquod ens infectum, et hoc Deum nominamus.

In hac ratiocinatione, consequentiae sunt legitimae. Propositio antecedens est immediata experientia ita evidens, ut eius veritas ipsa negatione vel dubitatione affir-

(1) S. Thomas non primo, sed secundo loco, hanc rationem adducit. Nos hunc ordinem invertendum putavimus, quia *unanimes* Doctorum calculo haec ratio probata est: principia enim quae assumit non solum sunt per se nota, sed terminis etiam constant quae explicatione non indigent.



metur, ut cum B. Augustino alibi notavimus [*Pr. Ph.* 344, IV]. Quare subsumpta minor dumtaxat probanda nobis est. Id porro duplici via conficimus.

I. *Per directum rei ostensionem.* Quod enim est factum, non habet in se rationem adaequate sufficientem sui esse. Si ergo dicuntur facta omnia quaecumque existunt, omnia etiam haberent rationem adaequate sufficientem sui esse in aliquo ente vel collectione entium, quibus minime inest ratio adaequate sufficiens sui esse. Atqui plane repugnat ex ipsis terminis, ut agnoscat ratio adaequate sufficiens *zō* esse alterius in eo, quod in se non habet rationem adaequate sufficientem sui esse; nihil enim dat esse, nisi in quantum et ipsum supponitur esse.

II. *Excludendo effugium atheorum.* Etenim omne quod fit, ab alio fit: secus aliquid efficeret seipsum, et sic esset, antequam esset. Si itaque omnia quaecumque existunt, dicantur facta, ab alio profecto debent esse facta. Hoc vero aliud a quo dicuntur facta, vel et ipsum est causa saltem mediate efficiens illud a quo dicitur factum, vel secus. Si primum, committitur circulus, quatenus nimirum A v. g. produceret B, B produceret C, C produceret A. Si secundum, dabitur processus in infinitum in causando, sic nimirum ut unum efficiatur ab alio, quin sistatur unquam in aliquo ente non facto. Et huc redeunt bina effugia quibus atheismi patroni conantur enervare vim argumenti quod protulimus. Age vero, utrumque est manifestissima ratione impossibile.

Etenim primo quidem repugnat *productio in circulum.* In istiusmodi quippe hypothesis, unum respectu eiusdem et secundum idem esset simul natura prius et posterius. C enim, utpote mediate saltem productum ab A, esset respectu illius natura posterius secundum esse. Atqui ex alia parte A ponitur esse productum a C, quod propterea sit oportet natura prius respectu A. Insuper, perinde est fingere eiusmodi circulum ac adstruere aliquid quod efficeret seipsum. Si enim una res fit ab alia a se facta, mediate saltem et quasi in virtute efficit seipsam, adeoque existeret simul et non existeret, quod manifestam termi-

normum repugnantiam involvit. Nam existeret quidem, quia produceret causam sui: non existeret, quia nondum producta.

Repugnat praeterea *processus in infinitum* in re praesenti. Nam infinita series quae ab atheis in medium proferitur, ad hanc rem explicandam, et ipsa est facta. Nequit enim dici infecta series, cuius membra singula sunt facta: quandoquidem eius esse est dependens ab esse membrorum, quae proinde si facta supponuntur, et ipsa series facta sit oportet. Erit ergo facta ab aliquo alio. Porro hoc aliud in ea hypothesis nullum est. Nam vel esset infectum, vel esset factum: primum negatur a ponentibus hanc seriem: alterum manifeste excluditur ab ipsa hypothesis, quippe in terminis repugnat, *extra seriem omnium factorum dari aliquid ens factum.*

389. *Probatio II. partis.* — Alterum argumentum ducitur ex ipsa notione motus quo nos ipsos, et quae nos circumstant, continenter cieri persentiscimus. Eius summa huc redit, prout proponitur a S. Thoma. "Certum est enim, ait, et sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo. Omne autem quod movetur, ab alio movetur. . . Si ergo id a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum. Quia sic non esset aliquid primum movens, et per consequens nec aliquid aliud movens: quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet, nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquid primum movens quod a nullo moveatur: et hoc omnes intelligunt Deum." (*Summa th.*, loc. cit.)

Ad genuinam intelligentiam huius argumenti, prout legitimae demonstrationis nomen meretur (1), haec notanda.

(1) Hoc ideo dico, quia plures sic interpretati sunt principium illud, *Quod movetur, ab alio movetur*, ut si minus aperte falsum, at certe omnino dubium evaderet: quod longe abesse debet a probatione vere demonstrativa, qualis praesertim postulat in re praesenti. Lege Suarez (*Metaph.* D. 18. sect. 7, D. 43. sect. 2. n. 14, seqq.).

I. Vox *motus* accipienda est communiter, ut scilicet comprehendit mutationem omnem vere et proprie eiusmodi, secundum quam res acquirit vel amittit aliquod esse perfectivum ad quod est in potentia. Cum itaque Deus vocatur ens *immobile*, minime ei denegatur operatio, sed ea tantum quae cum transmutatione fuerit coniuncta. Ob hanc causam S. Thomas notavit, Platonem, cum docet etiam primum movens se ipsum movere, minime dissentire ab Aristotele, qui primum movens statuit esse immobile. "Accipiebat (Plato) enim motum pro qualibet operatione, ita quod intelligere et operari sit quoddam moveri; quem etiam modum loquendi Aristoteles tangit in 3. de Anima, text. 20. Secundum hoc ergo dicebat Plato primum movens se ipsum movere, quod intelligit se et vult vel amat se; quod in aliquo non repugnat rationibus Aristotelis. Nihil enim differt devenire ad aliquod primum quod moveat se secundum Platonem, et devenire ad primum quod omnino sit immobile secundum Aristotelem." (1. *Cont. Gent.* c. 13.)

II. Axioma illud cui tota haec probatio superstruitur, nimirum, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, ut alibi declaravimus [*Pr. Ph.* 573], non est intelligendum *negative*, sed *positive*. Non enim eo negatur mobile active se habere in sua transmutatione, sed asseritur dumtaxat, in eo non inveniri activitatem *adequate* sufficientem suae mutationis, ac propterea ipsum ut moveatur, subiaci debere influxui exterioris agentis vel cooperantis. Hoc modo si intelligatur, pronuntiatum non minus ex terminis est evidens ac efatum causalitatis, ut cit. loc. Philosophiae Primae expendimus (1).

(1) Sic etiam rem intellexit I. B. de Benedictis. "Ex quo, ait, similiter colligitur, debere dari primum movens immobile, quemadmodum ex eo, quia omne quod fit, ab alio fit, sequitur debere dari primam causam incausatam. Veritas autem huius principii sic intellecta, quod nullum mobile potest esse causa adaequata sui motus, demonstratur ex Philosopho et D. Thoma. Quod movetur ad aliquam per-

III. Demonstratio qua S. Thomas utitur ad excludendum processum in infinitum in moventibus et motis est illa ipsissima, qua talis processus excluditur in causis per se invicem ordinatis [*Pr. Ph.* 687], ex eo scilicet quod secus absurdum illud ingens existeret, quo ponitur aliquid necessario postulans aliud ut sit, quin detur hoc aliud sine quo esse non potest. Hac ratione passim uti fuimus ad excludendum eiusmodi processum sive in definitionibus ac ratiocinationibus evidentibus aut probabilibus, sive in realitate substantiae asserenda, sive in cuiusque finis intentione [*Pr. Ph.* 97, 237, 522, 667].

IV. His adnotatis argumentum B. Thomae est demonstratio veri nominis, quae sic etiam efferi potest. Evidens est ex mutationibus quas experimur in rebus, eas esse perfectibiles: mutatio quippe in eo cernitur quod res aliquod esse perfectivum vel adquiret vel amittit. Omne autem quod perficitur, alterius ope indiget quod ei perfectionem qua caret, largiatur: secus enim idem esset respectu eiusdem perfectionis in potentia simul et in actu, h. e. perfectionem recipiens eandemque largiens. Cum itaque repugnet in re eiusmodi processum in infinitum, devenire oportet ad aliquod ens, quod cum a nullo perfectionem recipiat, ipsum sit alius perfectionis causa: et hoc omnes intelligunt Deum. Etsi autem haec probatio sic exposita videtur in praecedentem recidere, si tamen attente res spectetur, non est ita. Nam in praecedenti argumento consideratur dumtaxat

fectionem, non potest eam in se adaequate praecontinere: alter mobile ad eam non esset, cum proprium sit mobilis, qua talis, esse ad motum suum in potentia. Et quidem, quod adaequate in se continet perfectionem alicuius effectus, non potest ad illum moveri: quia sic moveretur ad adquirendum quod habet; hoc autem est impossibile, quia motus est actus in potentia ut in potentia, estque via ad adquirendum perfectionem qua deest. Omne ergo quod movetur, ab alio moveri debet, *aut totaliter, aut simul agente*. (Philosophia Peripatetica, to. 4. lib. 3. q. 1. c. 3.) Simili ratione rem declaravit Silvester Mauro (Qq. Philos. lib. 4. *De Ente immateriali*, q. 8.): nec est instantia alicuius momenti in contrarium.

ratio *causae efficientis*. Atqui ratio *moventis*, quae in hac altera demonstratione spectatur, est universalior adhuc; pertinet quippe etiam ad rationem causae sive finalis sive formalis extrinsecae. Quare praedicatum entis *immobilis*, quod inde concluditur, rationem exhibet divinitatis simplicio-rem atque adeo perfectiorem, quam sola notio entis *infecti*.

390. *Probatio III. partis.* — Quemadmodum in primo argumento consideratur in rebus potentia activa qua movent, in altero potentia passiva qua motui subjacent; ita in tertia demonstratione quam hic adducimus, ipsamet rerum mobilium essentia prae oculis habetur. Res enim mobiles quas experimur, videmus generatione oriri, ac corruptione interire. Id porro impossibile foret, nisi veram et intrinsecam potentiam haberent ad non esse, videlicet nisi essent intrinsecus defectibiles ab esse in quo subsistunt. Hoc itaque principio supposito, en argumentum.

Si omnia quaecumque existunt, intrinsecam potentiam habent ad non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Atqui hoc est falsum. Ergo datur aliquod ens necessarium, h. e. non habens intrinsecam potentiam ad non esse. Ergo existit Deus.

Prob. maior. Si enim non obstante intrinseca defectibilitate omnium, esse tamen alicuius, sive individui, sive seriei, semper fuisset, hoc esse profecto nullam aliam sui causam habuisset, nisi essentiam ipsam talis individui vel seriei. Atqui hoc est manifeste repugnans; cum enim supponantur omnia esse intrinsecus defectibilia, in intrinseca quidditate ipsorummet non invenitur ratio cur sint potius quam non sint. Ergo si omnia quaecumque existunt, haberent intrinsecam potentiam ad non esse, aliquando nihil fuit in rebus.

Prob. minor. Quod enim non est, non incipit esse nisi per aliquid quod est. Si igitur aliquando nihil fuit in rebus, etiam nunc nihil esset. Atqui falsum consequens, nihil scilicet nunc esse in rebus. Ergo falsum ex aequo antecedens, videlicet aliquando nihil fuisse in rebus.

Prob. ultima consequentia, esse Deum scilicet. \* Non

ergo, ait S. Thomas, omnia entia sunt possibilis (non esse), sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde, vel non habet. Non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis; sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est. Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis; quod omnes dicunt Deum. (loc. cit.)

Ex ipso modo quo hoc argumentum ad Angelici mentem recitavimus, duo patent diligenter notanda. Primo: a S. Thoma et antiquioribus scholasticis dicuntur entia *possibilia non esse*, omnia et sola illa quae in sua ipsa natura habent causam sui interitus, corruptibilia scilicet. Res proinde incorruptibiles dicuntur ab iisdem entia *necessaria*, considerando scilicet necessitatem, prout excludit praedictam possibilitatem seu transmutabilitatem. Haec est ratio quamobrem in allato argumento pro uno eodemque accepimus quod S. Doctor vocat *possibile non esse*, et quod nos diximus *intrinsecus defectibile*, seu corruptibile. Secundo: mira dexteritate Angelicus mentem eo argumento pedentem manuicuit ad cognitionem Dei sui conceptu *Entis per se necessarij*. Nam imprimis manifestissima ratione convincit, praeter ordinem rerum corruptibilium quas experimur, existere ordinem quemdam rerum quae corruptioni non sunt obnoxiae. Cum vero mentem nostram ita erexerit ad contemplationem rerum eiusmodi, argumento causalitatis breviter conficit, inter eas aliquam existere oportere, quae non modo sit incorruptibilis, sed causam sui rationem suae incorruptibilitatis non aliunde mutuata sit, sed vi suae essentiae habeat ut sit et semper sit. Res porro eiusmodi est ens per se necessarium, quod omnes Deum dicimus. Duplex proinde utilitas elucet in hac methodo. Nulla enim difficultas admittendi Dei existentiam cernitur in eo qui semel erexerit suam mentem a caducis istis rebus quae nos circumstant, ad contemplandam realitatem rerum invisibilium et incorporearum. Quare nullus est atque qui materialisimum simul non profiteatur. Hinc Angelicus primo

adlaborat, ut id evineat, et sic probat, praeter entia possibilis non esse, nimirum corruptibilia, dari res necessarias, seu incorruptibiles in essendo. Praeterea, longe evidentius est occurrere, res istiusmodi, quae intrinsicam scilicet potentiam habent ad non esse, postulare causam a qua sint, quam id ipsum demonstrare de rebus quae talem potentiam non habent, tum quia sunt remotiores a nostro captu, tum quia difficilius in essentia earum concipiuntur, quod absolute possibile sit eas non esse. Atqui recta demonstrationis methodus postulat ut a facilioribus et evidentioribus exordium ducatur.

## THESIS II.

*Deum esse, evincunt etiam tum diversi perfectionum gradus quos in rebus conspiciunt; tum rerum omnium mundanarum apta dispositio in fines proprios, ac mira consensio in bonum pulchritudinemque totius universi comparandam.*

391. *Probatio I. partis.* — Argumentum hoc longe pulcherrimum, quod magni fecit B. Augustinus ad divinam existentiam comprobendam (1. *De Doctr. Christ.*, c. 7; S. *De Civit. Dei*, c. 6; Enarr. 2. in Ps. 26. n. 8.), ductum scilicet ex ipsa deficientia perfectionis, quam ostendunt diversi gradus actualitatis quos in rebus conspiciunt, a multis etiam non ignobilis notae auctoribus negligitur. Nobis tamen maxime probatur, ac illud habemus, non ut simplicem quamdam suasionem aut probabilem persuasionem, sed ut veri nominis demonstrationem. S. Thomas eo utitur multis in locis praesertim vero (*Summa th.* 1. p. q. 2. a. 3. Quarta via . . ; 2. *Cont. Gent.* c. 15. ; Qq. *Disp. Pol.* q. 1. a. 2. q. 3. a. 5.). Summatim expositum sic habet.

Quemadmodum in determinatis generibus perfectionum, puta sapientiae, fortitudinis, etc., item in ipso summo

seu universalissimo earundem genere, quod est ipsa ratio entis, conspiciunt alia aliis meliora: sicut enim inventiuntur alia aliis sapientiora vel fortiora, ita alia sunt minus aliis. Atqui quocumque genus aliquid perfectionis deficiens et minoratum in re quamvis invenitur, in ea proficiscatur oportet ab alia altiori in qua talis perfectio non deficientem sed nobilissimum essendi modum habeat. Ergo existit ens quoddam nobilissimum quod maxime est, et quod ceteris quae minus sunt, et esse et bonitatem et perfectionem omnem elargiatur; et hoc dicimus Deum.

In recitata ratiocinatione, propositio nota est experientia: assumptionem vero declaratam iam dedimus in Philosophia Prima [686]: consequentia denique est plane legitima. Ad plenioram tamen rei intelligentiam inverit haec tria adnotasse.

I. Quidquid in sua ipsa natura habet rationem adaequate sufficientem cur sit, in eo profecto *posse* et *esse* sunt plane unum idemque. Res propterea eiusmodi eo modo existet, quo possibile est eam existere, nec magis vel minus in ea concipere liceret. Et re quidem vera, supponamus rem aliquam existere, cui ratio adaequate sufficiens cur existat alia non est nisi *absoluta ratio sapientiae*. Supponamus etiam in re eiusmodi defectum aliquem in ratione sapientiae inveniri. Ex hac suppositione duplici illud manifeste consequens foret, rem quamvis fore insipientem idcirco praecise quod sit sapiens: qua enumeratione nihil absurdum magis concipi potest. Quare omnino fatendum est, in re eiusmodi, sapientiam inveniri secundum omnem gradum nobilitatis in ea ratione possibilem (1).

(1) \* Cum aliquid invenitur a pluribus diversimode participatum, oportet quod ab eo in suo perfectissime invenitur, attribuitur omnibus illis in quibus imperfectius invenitur. Nam ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum: si enim univocis eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur. » S. THOMAS (Qq. *Disp. Pol.* q. 3. a. 5.).

II. Cum unumquodque idecirco sit perfectum quia actu est, supremum et universalissimum gradus perfectionis, ut perfectio est, in ipso esse cernitur, quod proinde spectatur quasi vita et anima perfectionum ceterarum. \* Dicendum, ait Angelicus, quod ipsum esse est perfectissimum omnium. Comparatur enim ad omnia ut actus: nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est. Unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens: cum enim dico esse hominis, vel equi, vel cuiuscumque alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse. \* (*Summa th.* 1. p. q. 4. a. 1. ad 3.) Inde aperte fluit res diligenter notanda, nimirum non posse perfectionem cuiuscumque ordinis in aliquo deficienter inveniri, nisi pro eo quantum in eo deficit seu minoratur ipse actus essendi, ac propterea nullius perfectionis deficientiam inveniri posse in ea re in qua hoc quod est esse nobilissimo modo invenitur (1). Ex quo ulterius fit consequens, ut paulo ante dicebamus, non ex vi suae naturae sed aliunde habere ut sit, rem quamlibet cui defectus aliquis in quocumque perfectionis genere conveniat.

III. Si itaque quaecumque minus sunt aliis, non ex se habent ut sint, necesse est ut id ab alio participant; nec ratiocinatio sistet quousque deveniatur ad aliquid, quod quum in se maxime sit, ceteris elargiatur, sicut esse, ita bonitatem et perfectionem omnem qua ornantur. Existit igitur Ens quoddam nobilissimum, quod, ut aiebat Apo-

(1) Ex hac observatione, ut scite notavit I. Klentgen, excluditur obiectio quae fieri posset adversus hoc argumentum, quasi eo instauraretur opinio Platoniorum de existentia formarum separatarum. \* Hoc argumentum, ait, potius excluditur error qui putatur Platonis: nam ille qui maxime subsistit, vivit, intelligit, maxime sapit, unus idemque est, eo quod idem etiam maxime est. Hic ergo, qui maxime est, solus per se est et omnibus causa est, quod sint et bona sint. \* (*Praelect. theol. De ipso Deo*, n. 170.)

stolus. Act. XVII. 25. non indiget aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia; et hoc omnes Deum vocamus.

392. *Probatio II. partis.* — Exponendum modo est argumentum quod vocant *cosmologicum*, deproptum scilicet ex ordine mirabili huius universi. Tum divinae Litterae et Ecclesiae Patres, tum philosophi etiam gentiles, ac nominatim Aristoteles, frequenter ad illud appellant, nec immerito. Habet enim quandam specialem vim ad omnes quasi facultates totius hominis commovendas, ut existentia Supremi Numinis sub conceptu *sapientissimi Ordinatoris totius universi* non tam demonstraret, sed quasi, ut sic dicam, sentiatur. Iam age dupliciter evolvi potest haec ratio, et utramque in thesi indicemus. Duo quippe in hoc ordine contemplari licet, nimirum naturalem rei cuiusque et constantem inclinationem in operationem seu finem sibi convenientem, ac insuper mutuum rerum omnium compaginem et harmonicam connexionem in hanc mirabilem et pulcherrimam unitatem quam in adspectabili hoc universo nemo non admiratur. Hinc argumenta duo.

I. Ex ipso modo agendi causarum naturalium manifestum fit, eas non casu fortuito moveri, sed alicuius finis obtinendi gratia. Atqui quae intellectu carent, minime ob finem operantur, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente. Ergo est aliquod Ens intelligens a quo res naturales in propriis finibus ordinantur, et hoc dicimus Deum. Huius argumenti consequentia legitima est: propositio vero et assumptio ex professo declaratae ac demonstratae fuerunt in sect. X. postremae Disp. Philosophiae Primae, ubi eadem argumenta propugnativimus quibus rem hanc evincit Aristoteles in lib. 2. Natur. Auscultationis. Paucis ita illud resumit Angelicus. \* Videmus enim, ait, quod aliqua quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem: quod apparet ex hoc, quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum; unde patet quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem quae non habent cognitionem, non tendunt in finem

nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente; sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo res omnes naturales ordinantur in finem; et hoc dicimus Deum. (Summa th. loc. cit.)

II. Quemadmodum etiam in Philosophia Prima demonstratum est [th. VIII], cum ordo sit per se effectus causae intelligentis, quo universalior est ac magis constans, eo potiori iure exigitur, ut ad intelligentiam, tanquam ad proportionatam eiusdem causam, recurratur. Atqui evidens est omnino, ordinem mirabilem, quo res omnes mundanae consociantur invicem, non obstante earum infinita promodum diversitate atque adeo contrarietate, universalissimum esse et constantissimum. Ergo eius proportionata causa non est alia a pulcherrima quadam Mente ordinatrice a qua talis ac tantus ordo sit et conservetur. Ad rem I. B. de Benedictis. \* Si ars humana eo laudabilior est, quo magis ad naturam accedit, eamque melius imitatur; maior sane erit in natura, quam in arte, sapientia, cuius est scilicet idea perfectior, quam ars scilicet sequi potest, assequi non potest. (Philos. Perip. to. 4. lib. 3. q. 1. c. 3.)

393. *Praecedentis argumenti uberior explicatio.* — Quoniam argumentum cosmologicum, ut diximus, propriam quandam vim continet in rem nostram, eoque docti simul et indocti mirum quantum percillantur, iuverit scholastico rigore illud uberius enarrare. Et quo res evadat evidenter, illud urimus ex universali nexu, unde pulcherrima huius universi machina consurgit. Sic itaque procedimus.

*Dico I.* — **Hic ordo est effectus.** — Nisi enim esset effectus, existeret vi suae naturae, ideoque esset ens per se necessarium. Atqui hoc est falsum. Prob. haec minor tripliciter. Etenim quod est per se necessarium, ut ante argumentati sumus [391], est omniperfectum, existit scilicet secundum omnem gradum perfectionis cuius est capax. Atqui manifestum est, non esse eiusmodi ordinem quem in hoc mundo conspicimus; nihil enim vetat, quominus perfectior adhuc ordo concipiatur in rebus quae

nos circumstant. Praeterea, quod est per se necessarium, in eo essentia et esse conceptu etiam confunduntur, ac propterea, si immediate et intuitive in se percipiatur, impossibile est concipere essentiam, quin eo ipso iudicetur rem eiusmodi in rerum natura existere. Atqui ex una parte praesentem ordinem rerum mundanarum immediate experientiae intuitione interna vel externa conspicimus, ac alia vero sine ulla conceptuum pugna ipsum optime apprehendere possumus, quin idcirco ad eius existentiam affirmandam adigamur (1). Ergo minime res est per se necessario existens. Postremo, nequit hic ordo dici per se necessarius, nisi eadem necessitas adiudicetur ipsi subiecto huius ordinis, corporibus scilicet quibus hic mundus coalescit. Atqui evidens est, corpora quibus hic mundus constat, non esse entia per se necessaria; quippe sunt corruptibilia; praesertim cum multa sint et diversa, ratio contra entis per se necessarii sit absolute immultiplicabilis [Pr. Ph. 580, II.].

*Dico II.* — **Hic ordo non est factus casu fortuito.** — Quae enim fortuito contingunt, ea raro et in peculiari aliquo subiecto occurrunt; secus quippe nulla ad-

(1) Apposite Matthaens Liberatore. \* Necessitas praesentis ordinis non aliter adstrui posset, nisi quatenus talis colligatio inter ipsum et res conditas. Intercedere dicatur, ut haec concepti nequeant, quin ille etiam concipiatur. At id nemo sanus affirmabit. Nam optime cogitamus mundum pluribus aut etiam paucioribus, quam nunc est, rebus coalescentem, maiore aut minore astrorum numero ornatum, diversis animantium generibus locupletem, aliis motum legibus temperatum, alia corporum collocazione dispositum. .... Immo effici potuisset, ut non modo res, verum etiam earumdem collocazione mutuaeque relationes manerent, et tamen ordo, ex parte saltem, in contrarium abiret. Sic verbigratia, si planetae in motu, quo circa solem volvantur, non iam ab occidente in orientem, sed viceversa ab oriente in occidentem ferrentur; itemque tellus, dum circa suum axem cietur, eandem subiret vicissitudinem; nulla certe mutatio in corporum collocazione, distantia, mutisque relationibus accideret, sed necque prorsus haec se haberent ac nunc sunt; et tamen ordo in parte esset diversus. (Instit. Philos. Cosmol. n. 167.)

esset ratio sufficiens constantiae qua effectus se exciperent. Atqui admirabilis compago totius universi constantissima est, et infinitas propemodum res easque plerumque oppido contrarias invicem consociat. Praeterea, nemo nisi insanus dixerit, ex fortuito lapidum lignorumque, calcis et arenae concursu palatia emersisse, ex characterum imprudenti congestione prodississe poemata, ex simili colorum confluxu coaluisse exquisitam picturam. Ergo nonnisi per summam insaniam rem similem de admirabili hac universi machina suspicari licet. Et hoc est quod ait Tullius contra veteres temeritatis patronos. "Si mundum efficere potest atomorum concursus, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa et multo quidem faciliora?" (*De Nat. Deor.* lib. 2. c. 37.)

**Dico III. — Causa mundani ordinis est intelligentia.** — Constat ex praecedenti assertionem. Si enim ordo mundanus non prodiit casu fortuito, ergo habet causam per se effectivam. Atqui causa per se efficiens ordinis non est nisi intellectus: idque eo magis requiritur, quo plura et dissimiliora sunt quae in ordinem rediguntur, et quo maior est unitas et concentus qui in eorumdem dispositione elucescit. Confer huius asserti demonstrationem traditam in Philosophia Prima [th. VIII]. Praeterea, nulla sapientia agnoscit sufficiens ad ordinem mundanum, saltem ex parte, explicandum. Quenam ergo erit quae ipsum constituit. Quare Tullius: "Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tanque omnia inter se connexa et apta viderit; neget in his aliam esse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur nullo consilio assequi possumus?" (*loc. cit.* c. 38.) Denique, res mundanae, secundum se consideratae, sic disponi potuissent, ut alius ordo a praesenti diversus exurgeret. Quod itaque in hanc compagine potius prodierint quam in aliam, id petendum est ex determinatione habita a causa unde processit. Iam age, eiusmodi causa hanc compagine praee alia determinavit, vel ex voluntatis consilio, vel ex caeco instinctu suae naturae. Non potest hoc postremum affirmari, quia

tunc iste ordo ex fatali necessitate proveniret, atque adeo nullus alius possibilis dicendus foret. Relinquitur itaque dicendum, hunc ordinem a causa volente dispositum ac determinatum fuisse. Nihil porro voluntate operatur nisi causa intelligens.

**Dico IV. — Ex mirabili dispositione rerum mundanarum existentia supremi Numinis rite infertur.** Nam demonstratum est ex hac dispositione, dari Ens ali-quod sapientissimum, unde ipsa processerit. Porro praecise et maxime sub tali conceptu existentiam supremi Numinis athei inficiari nituntur. Neque obstat, quod hac sola demonstratione adhibita, minime fortasse evincitur, utrum hoc ens a se, utrum omni perfectione infinitum, utrum mundi non solum gubernator, sed creator quoque sit. Haec enim, aliaque his gemina, spectant ad quaestionem, *quis et qualis sit Deus*, non vero ad quaestionem, *an Deus sit*. Neque etiam obici potest, multa fieri in hoc mundo non solum frustra, sed etiam finibus naturae contraria. Quum enim tam in singulis paene innumeris, quam in universitate rerum apte cohaerente intueamur ordinem, qui sine excellenti ratione mundum totum complectente institui et conservari nequit, praesumere et possumus et debemus, ea quoque sine consilio non fieri, quorum finem non satis agnosceimus. Accedit etiam, quod saepenumero quae prima facie fortuita vel pernicioosa videntur, re melius considerata congruentissima ratione disposita vel etiam salutaria atque adeo necessaria esse compariantur. Ad rem Chrysostomus. "At serpentes et scorpia et dracones quid ad vitam utile afferunt? et quidnam commodi ex eis percipitur? Plurimum idque inenarrabile, nec minus certe, quam ex mansuetis et cicuribus. Haec enim sunt apta ad usum corporis: illa vero et tibi metum afferunt, et ut sis modestus et temperatus efficiunt, et ad certamen instruunt, et peccatum primi parentis tibi in memoriam redigunt, et ostendunt quantum malorum causa sit inobedientia." (*In Ps.* 148. n. 3, 4.) Confer etiam quae idem S. Doctor hac de re disserit in Homil. IX et X ad populum Antiochenum: efficacissime siquidem et pulcher-

rime ibi evolutum reperies argumentum cosmologicum de divina existentia.

### SECTIO III.

*Argumenta moralia ad eandem veritatem ostendendam idonea.*

394. **Quid haec a praecedentibus argumentis differant.** — In hac sectione producimus argumenta quae ratio practica suppeditat ad existentiam supremi Numinis comprobendam, quaeque idcirco *moralia* dicuntur. Non differunt a praecedentibus, quasi sint minus certa aut evidentia; quin immo, si quis recte consideret, specialem quamdam efficaciam habent ad intellectum convincendum, quam scilicet in se derivant ex proprio lumine intellectus practici quod *synderesim* constituit. Et hoc adeo verum est, ut ipse Kantius, tametsi multa sophismata congessit (*Critica rationis purae*, Dialect. transcen., lib. 2. c. 3.) ad ostendendum, argumentis ordinis speculativi Dei existentiam evinci non posse, eam tamen ut postulatum quoddam rationis practicae plane necessariam agnoscere coactus fuerit. Qua in re maximoque quidem deceptus fuit, cum intellectus practicus non sit nisi quaedam extensio intellectus speculativi; sed facto ipso demonstravit, quanti valeant argumenta id genus, ut menti etiam maxime praedicatae existentia Dei persuadeatur. Iam age, in ordine practico duo spectari possunt, videlicet finis appetitus, ac regula secundum quam ad eius assecutionem pervenitur: quorum primum ad voluntatem, alterum ad intellectum proxime refertur. Duplici proinde conclusione rem praesentem absolvemus.

### THESIS III.

*Naturalis appetitus quo voluntas humana in bonum fertur, legitima ac demonstrativa ratione ostendit, Deum esse.*

395. **Demonstrationi praesupponenda.** — Ut haec demonstratio totam suam vim exerat duo suppono.

I. Ut suo loco declaratum est [348], propria tendentia rationalis appetitus, ut nimirum a sensitivo distinguitur, est in bonum, non secundum aliquam specialem boni rationem, sed in sui communissima ratione spectatum; sic enim ab intellectu ei proponitur appetendum. Ex quo etiam intulimus [359], rationalis appetitus tendentiam non posse quietari seu expleri nisi in possessione *boni simpliciter et absolute perfecti*: quemadmodum si quis ad mathematicae studium animum adieceret praecise ex absoluto amore sapientiae, haec profecto sitis minime extingueretur, sed augesceret potius, si ad huius dumtaxat disciplinae scientiam perveniret. Est proinde in suo objecto plane immetatus appetitus boni humanae voluntati proprius; cuius iudicium manifestissimum existit molesta illa et irrequieta quasi vacuitas, quam in corde nostro experimur omnes, respectu bonorum omnium imperfectorum quae consequimur: unde fit plerumque etiam, ut magni fiant antequam obtineantur, obtenta autem despectui habeantur.

II. Est praeter et contra rationem omnem suspicari, ne ipsa hominis natura sit ens inordinatum et plane monstruosum. Cum enim natura aliarum rerum quantumvis minimarum, quae in adspectabili hoc universo conspiciuntur, ordinatissima appareat, omnis recta ratio sane postulat, ut eiusmodi ordo non deficiat in homine qui est vertex et princeps totius naturae visibilis. Iam vero, hoc si ad-



mittatur, concedere etiam oportebit, naturales tendentias homini insitas non esse frustraneas, eam potissimum quae illi propria est ac fundamentalis, quaeque sine dubio est tendentia partis superioris seu voluntatis a qua ceterae ad proprios fines moventur.

396. *Demonstratio.* — His praesuppositis, en argumentum inde ductum, quo Deum esse convincitur.

A ratione alienum est, si dicatur propria et fundamentalis tendentia humanae naturae esse frustranea et illusoria: secus enim nobilissima haec natura eo ipso monstruosissima evaderet, ut praemisimus. Atqui frustranea perfectio est ea tendentia, cui nullum respondet obiectum in quo quiescere possit, ut videtur notum ex terminis. Ergo datur obiectum aliquod in quo propria et fundamentalis tendentia humanae naturae quiescere valeat. Atqui rursus hoc obiectum aliud esse nequit nisi bonum simpliciter et absolute perfectum, ut ante ostensum est. Ergo tale bonum existit, et hoc omnes Deum nominamus (1).

Confirmatur. Nam impossibile est homini rationabiliter agere, si nullus sit certus terminus ad quem humanae operationes dirigi deberent. Oportet itaque, quo operatio hominis secundum rectam rationem exigatur, aliquis detur finis operationum humanarum. Hic vero debet esse ultimus; non enim in intentione finium licet progredi in infinitum. Ex alia parte vero manifestum est, eiusmodi finem, si detur, alium esse non posse a bono, in quod suapte natura tendit, et quo obtento quiescit rationalis hominis

(1) Huic rationi affinis est valde quam Angelicus proponit sic inquit. \* Intellectus noster intelligendo aliquid in infinitum extenditur: cuius signum est, quod quantitate qualibet finita data intellectus noster maiorem excogitare potest. Frustra autem esset haec ordinatio intellectus ad infinitum, nisi esset aliqua res intelligibilis infinita. Oportet ergo, aliquam rem intelligibilem infinitam esse, quam oportet esse maximam rerum, et hanc dicimus Deum. (1. *Cont. Gent.* c. 43.)

appetitus. Cum itaque hoc sit bonum simpliciter et absolute perfectum, concedere oportet, tale bonum dari in natura rerum, nisi impossibile dicatur homini ex rationis praescripto agere; quo certe nihil magis a ratione alienum excogitari potest.

#### THESIS IV.

*Deo non existente, intellectualis synderesis principia falsa sint oportet. Nihil proinde stultius atque perversius, quam utcumque conari, ut, sit nec ne Deus, in dubium revocetur.*

397. *Demonstratio.* — Synderesis se habet in operabilibus ut habitus principiorum in speculativis: utriusque proinde ordinis axiomata sunt aequae infallibilia et indubitabilia. Iam age, tria sunt argumenta potissima quae inde ducuntur ad divinam existentiam comprobendam. Primum generatim habetur ex ipsa necessitate quam in eiusmodi iudicis apprehendimus et experimur: alterum ex universalissimo axioma ad quod ea omnia quasi ad caput reducuntur: tertium denique ex primo dictamine prudentiae qua ad praxim applicantur.

*Argumentum I.* — Nemini ratione utenti dubium esse potest, multa esse dictamina practica quibus nonnullae actiones diiudicantur ut omnino faciendae, aliae vero ut omnino vitandae, idque cuiusque conscientia cum summo imperio pronuntiat, non obstantibus quibuscumque in contrarium allicientibus. Patet hoc ex modo quo talia iudicia in mente evolvuntur. Diiudicamus enim, a malo abstinendum esse etiam in occulto, et ad actus quod spectat mere internos. Sic, nemo est, modo natura se duci sinat, qui non vehementer reprobet, odio habere parentes, consilium de patriae prodicione, propositum non servandi promissa, et sexcenta alia generis eiusdem, tam-

etsi in externum opus non prodierint. Neque res istiusmodi reprobantur in hoc aut illo dumtaxat, sed in summis quoque imperantibus, immo longe vehementius in his quam in ceteris. Atque haec naturalis reprobatio perdurat, quamvis in contrarium inclinet divitiae, populi favor, aut alia his gemina. Quod si huic internae voci non obtemperamus, acerbissimus subsequitur conscientiae remorsus: et si quando enititur, nos ipsos excusare, ne hoc stimulo pungamur, in ceteris procul dubio id semper detestatur. Hinc qui male agunt, apud omnes gentes vituperio et poena digni existimantur, ut ut aliis bonis locupletentur: ac propterea nullus iniustus vult aut patitur dici iniustus (1).

Supposito hoc naturali dictamine conscientiae, quod nemo ratione utens non experitur, sic arguere licebit.

(1) En qua ratione hanc conscientiae vocem ad vivum describit Philosophus. \* Semper enim secum pugnant ac dissident tales (viciosi), aliaque concupiscunt, alia volunt, perinde ut incontinentes. Is enim reiectis quae sibi bona esse opinatur, invidia sequuntur, et quae sunt damosa sumunt. Alii propter ignaviam ac desidiam ab eorum rerum, quas sibi optimas esse ducunt, actione longo se remouent. Iam qui multa et atrociora admiserunt et propter improbitatem in odio sunt, vitam fugiunt, sibi quae manus afferunt. Et vitiosi homines atque improbi quaerunt quibuscumque dies totos traducant; seipsos autem fugiunt. Multa enim gravia atque horrenda recordantur, taliaque altera quum soli sunt expectant; lautisper autem dum cum aliis sunt obliviscuntur. Et quum nihil sit in eis amabile, nullo erga se amoris affectu commoventur. Non igitur qui tales sunt, secum ipsi aut laetantur aut dolent: in eorum enim animo discordiae et seditiones concitantur; et una pars propter pravilatem dolore afficitur, abstinens a quibusdam rebus, altera laetatur; denique una pars huc ipsum trahit, altera illuc, tanquam ipsum divellendo. Quod si fieri non potest, ut quis simul doleat ac laetetur; at certe paulo post, quod laetatus sit, moerore conficitur, nolitque haec sibi voluptatem attulisse; malos enim assidue actionum suarum poenitet. Non videtur igitur homo malus ne in seipsum quidem amicum esse animo, quia nihil habet amabile. Quod si ita affectum esse, valde est miserum; acerrima contentione fugienda improbitas est, operaque vituperanda, ut sit probus. Sic enim et amicum in se ipsum erit amicum, et alii poterit amicus esse. (9. *Ethic.* c. 4.)

Haec tanta necessitas quam natura ipsa duce concipimus, ut haec actiones ponantur, haec omittantur, sua ratione sufficiente destitui profecto non debet. Haec porro vel repetenda est ex humana lege, aut institutione seu educatione; vel ex ipsa interna convenientia aut disconvenientia quarumdam actionum cum natura humana per se spectata; vel denique ex natura utique humana, sed ut subest superiori cuidam potestati quae ipsi praesit et in eam dominatum exerceat. Haec disinctio adaequata est; nullum quippe aliud membrum quis excogitavit haecenus. Porro nequit imprimis haec ratio sufficiens repeti ex humana lege aut institutione: praedicta enim conscientiae dictamina sunt perpetua, universalia, et indelebilia, quod certe in humanis legibus institutisque minime veritatem habet. Nec etiam talis necessitas dependet ex interna convenientia aut disconvenientia actionum cum natura humana per se spectata. Ratio est, quia quanta demum cumque fuerit huiusmodi convenientia vel disconvenientia, ea tandem aliquando, sistendo in sola natura humana quin assurgatur ad aliquod principium ea altius, non est nisi bonum vel malum quoddam limitatum, ut est ipsamet natura humana. Atqui irrationabile est, ut ex tali bono vel malo ligetur humana voluntas: est quippe appetitus boni immetati. Relinquitur itaque, ut ratio sufficiens necessitatis moralis, quae in naturali dictamine conscientiae elucescit, repetatur a superiore quadam potestate, quae dominatum exercet in ipsam naturalem constitutionem humanae mentis, eique normam operandi cum imperio praescribat. Talem porro Potestatem, humanae naturae legislatricem, Deum dicimus.

398. *Argumentum II.* — Ut in speculativis axioma absolute primum est illud, *Nequit idem simul esse et non esse*, item in practicis eandem dignitatem obtinet illud aliud, *Bonum est faciendum malumque vitandum*. Atqui tale pronuntiatum evidente falsitate laboraret in hypothesis Dei non existentis. Ergo haec hypothesis absurditate plena est. Et re quidem vera, hoc pronuntiatum nequit consistere, nisi eo ipso stabilatur essentialis distinctio inter